

Quinto, denique idem probant illa verba : « Sine fide impossibile est placere Deo. Nam accedentem ad Deum oportet credere, quia est, et inquirentibus se remunerator sit. » Ubi sine dubio per verbum « credere », explicatur actus fidei justificantis, neque potest ulla ratione ipsum « credere » detorqueri ad fiduciam. Non enim confidimus Deum esse, sed certo judicamus et assentimur.

Quod autem fides justificans non sit proprie notitia, sed assensus in rem etiam incognitam, probat illud « argumentum non apparentium » hinc enim intelligimus, fidei officium non esse, efficere, ut res obscuræ fiant perspicuæ, sed ut credantur, etiamsi non appareant. Mire enim conjunxit Apostolus « argumentum » cum « non apparentium » ut significaret, fidem id facere, quod faciunt argumenta, sed alio modo. Nam argumenta, et maxime demonstrationes, faciunt, ut intellectus omnino assentiatur, sed hoc faciunt, per evidentiam rei intellectum convincendo, dum causas ipsas, et proprietates aperiunt. At fides facit quidem, ut intellectus omnino assentiatur, sed non per evidentiam rei, et notitiam causæ, et proprietatum, sed cedendo auctoritati dicentis. Itaque in fide manet res obscura ut antea erat, sed creditur propter auctoritatem dicentis; non igitur fides proprie loquendo est notitia, sed assensus.

Quod autem Apostolus ait : « Fide intelligimus, aptata esse sæcula Verbo Dei », non significat, fide plane cognosci creationem sæculorum, sed per verbum intelligendi exprimere voluit apprehensionem, et assensum intellectus. Omnis enim actus intellectus, significari potest per verbum intelligere.

Quod fides justificans non habeat pro objecto misericordiam specialem, sed omnia, quæ Deus revelavit, probatur primum ex illis vocibus : « Sperandarum rerum ». Nam specialis misericordia non est res aliqua speranda, sed donum præsens, aut præteritum, ut ipsimet adversarii docent, qui ad fidem pertinere dicunt, ut unusquisque credat sibi esse remissa peccata, seque per Christum gratum esse Deo, et pro justo reputari. Secundo, idem probatur ex illis verbis : « Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei ». Et ex illis : « Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, etc. ». Denique ex toto illo capite, ubi fidei tribuuntur plurima : et specialis misericordiæ nulla fit mentio.

Denique quod una et eadem sit fides histo-

rica (si tamen hoc nomine appellare fas est, assensum, quem adhibemus narrationi rerum præteritarum, non ob hominum, sed ob Dei ipsius, quia ea revelavit, auctoritatem) fides miraculorum et promissionum, ac per hoc fides justificans non sit sola fides promissionum : perspicue probatur ex hoc eodem loco ; nam eidem fidei quam definivit, et quam justificantem esse ostendimus, tribuit Apostolus, quod per eam intelligamus aptata esse sæcula Verbo Dei, quod ad historiam pertinet. Item quod per eam sancti vicerint regna, obtulerint ora leonum, extinxerint impetum ignis, etc. Quæ pertinent ad miracula. Denique quod per eandem adepti sint repromissiones quod ad promissiones spectat.

Ad hunc locum Kemnitiuſ respondere conatur, ac duo dicit. Primo, fatetur multa esse fidei objecta, ea videlicet omnia, quæ continentur in Verbo Dei, sed questionem esse ait, quid illud sit, in quod proprie fides justificans iatueri debet ; quod quidem non esse aliud, nisi misericordiam specialem. Secundo addit, Apostolum hoc loco tractare de variis exercitiis fidei, quæ illis conveniunt, qui fidei justificati sunt.

Sed ista nihil faciunt ad absolutionem argumenti. Nam in primis quamvis multa sint objecta fidei, materialia tamen, non ideo multæ sunt fides. Una enim fides est propter unam, et eandem rationem formalem, qua creduntur omnia. Alioqui cum in symbolo fidei numerentur articuli duodecim, duodecim quoque essent fides, quod est in Ecclesia Dei hactenus inauditum.

Deinde Apostolus hoc loco non solum explicat varia objecta, vel exercitia fidei, sed ipsam fidem initio definit : cur igitur in ea definitione, quæ ( ut ostendimus ) est fidei justificantis, non meminit illius misericordiæ specialis, si ea est objectum proprium fidei justificantis.

Præterea si quæ in isto capite narrantur sunt exercitia, vel objecta fidei ; peto, cujus fidei ? certe justificantis, nam illius fidei exercitia, et objecta explicantur, quæ initio definita est : igitur fides justificans non solum respicit, vel apprehendit misericordiam specialem, sed etiam credit mundi creationem, et operatur miracula : proinde ipsa fides justificans, est etiam fides historica et miraculorum.

Quid, quod idem Apostolus in hoc eodem loco disertis verbis tradit, fidem justificare,

quatenus per eam credimus ea, quæ gignunt timorem, ac per hoc quatenus non est fiducia misericordiæ ? « Fide, inquit, Noe responso accepto de iis, quæ adhuc non videbantur, metuens aptavit arcam in salutem domus suæ per quam damnavit mundum, et justitiæ, quæ per fidem est, hæres est constitutus ». Videsne hoc loco, sanctum Noe justitiam fidei esse adeptum, ac per hoc fidei justificatum, quia credidit Deo dicenti, futurum fuisse diluvium generale, et ex ea fide metuens arcam fabricavit ? Ideo enim damnavit mundum incredulitatis, et ipse hæres justitiæ fidei constitutus est, quia mundus credere noluit diluvium futurum, ipse autem credidit.

Quid hic responderi potest ? Ubi hoc loco mentio misericordiæ specialis ? Simile est quod paulo infra legimus : « Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones etc. ». Ubi etiam fidei tribuitur justitiæ operatio, et miraculorum ostensio. Sed de hoc loco satis multa dicta sunt.

## CAPUT VI.

*Fidem justificantem non esse fiduciam, probatur ex divinis litteris.*

Nunc adferemus testimonia Scripturæ, quibus seorsim probemus, primum, fidem non esse fiduciam ; deinde, non esse notitiam, sed assensum ; postremo, non habere pro objecto misericordiam specialem, sed in totum, quod in verbo Dei continetur.

Fidem igitur non esse fiduciam, probatur primo ex illis verbis Roman. IV : « Non infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum emortuum, et emortuam vulvam Saræ, in repromissione etiam Dei non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissime sciens, quia quæcumque promisit Deus, potens est et facere. Ideo et reputatum est ei ad justitiam ». Ubi loquitur Apostolus, de fide justificante, ut perspicuum est ex ultimis verbis : quid autem fuerit illa fides, explicat per propositionem negantem et affirmantem ; per negantem, cum dicit : « Non consideravit corpus suum emortuum etc ». Consid-

ratio autem ad intellectum pertinet ; ad quem non pertinet fiducia : per affirmantem, cum ait : « Plenissime sciens quia quæcumque promisit Deus, potens est et facere ». Plenissime scire, intellectus est, non voluntatis, sicut contra, fiduciam habere, voluntatis est, non intellectus. Porro vox Græca πληροφορηθεὶς, significat proprie, plenissime persuasus, sive pro certo habens, quæ omnia ad intellectum pertinent. Neque movere nos debet illud, non hæsitavit diffidentia, nam diffidentia posita est eo loco pro incredulitate, in Græco est ἀπιστία.

Secundo idem probatur ex illo, I Corinth. XIII. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc, major autem horum est charitas.* Ubi distinguit Apostolus fidem a spe, et dicit esse duo quædam diversa ; manifestum autem est fiduciam nihil esse aliud, nisi spem roboratam. Unde Job. VIII. dicitur : *Spes hypocritæ peribit, et sicut tela aranearum fiducia ejus.* Et pro eo, quod dixit David Psalm. XXXVIII. *Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus.* Dixit Hieremias cap. XVII. *Beatus vir, qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus* (1). Itaque fiducia ex fide quidem oritur, sed non potest idem esse cum fide, nisi confundere velimus, quæ tam aperte Apostolus ipse distinxit.

Tertio, probatur ex illo, II Corinth. X. *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi* (2). Ubi B. Paulus per fidem dicit, intellectum captivum duci in obsequium Christi, quia cogitur credere, quod non intelligit. Proinde fides manifeste ad ad intellectum non ad voluntatem pertinet.

Quarto, probatur ex illis verbis, ad Ephesios. III. *In quo habemus fiduciam, et accessum in confidentia per fidem ejus* (3). Quod si habemus accessum ad Deum in confidentia seu fiducia per fidem, certe sequitur, ut fides non fiducia sit fiducia, sed fiducia causa, alioqui sensus hujus loci esset, habemus accessum in confidentia per confidentiam, quod absurdum esse non dubium est. Non dissimiliter distinguitur fides a fiducia Matth. IX. *Confide, filia, fides tua te salvam fecit* (4). Ubi excitatur ad fiduciam concipiendam mulier illa, quæ jam ex fide sanata fuerat. Et in prioribus ad Thimotheum cap. III. *Qui bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirunt, et multam fiduciam*

(1) I Corin. XII, 13; Job. VIII, 14; Psal. XXXIX, 5; Hier. XVII, 7. — (2) II Cor. X, 5. — (3) Eph. III, 12. — (4) Matth. IX, 22.

in fide quæ est in Christo (1). Ubi fiducia in fide acquiri dicitur, quia potest esse fides sine tali fiducia.

Quinto, accedant omnia illa loca, quæ docent, objectum fidei justificantis esse illa omnia, quæ Deus revelavit, quæ loca cap. 8. adferuntur; neque enim fiduciam tam late patere potest, cum solum bona, et ea ut futura respiciat.

Sexto, accedant etiam loca, ubi actus fidei dicitur esse, credere; ut Rom. IV. « Credidit Abraham Deo etc. ». Nam si Scriptura divina per fidem intelligeret fiduciam, actum ejus explicaret per verbum fidere, non per verbum credere. Quod si adversarii contendunt, ipsum etiam (credere) usurpari in sacris litteris, pro eo quod est (fidere) aut confidere; cogentur absurdissime, atque ineptissime loca plurima explicare, ut exempli gratia, cum dicitur Joan. XIV. : *Non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me est? alioqui propter opera ipsa credite.* Actor. VIII. *Credo filium Dei esse Jesum Christum.* Rom. X. *Corde creditur ad justitiam.* Et infra: *Si in corde tuo credideris, quia Deus eum suscitavit a mortuis, salvus eris* (2). Hæc et similia non possunt nisi ineptissime accipi pro fiducia.

Neque satisfacit Kemnitius, qui in suo examine Concilii Tridentini dicit, ad fidem pertinere non solum fiduciam, sed etiam notitiam, sive assensum intellectus. Scribit enim in fide primo, esse notitiam, sive cogitationem promissionum Dei. Secundo assensionem, qua unusquisque statuit eam promissionem ad se pertinere. Tertio ex illa notitia, et assensu oriri in voluntate desiderium justificationis. Quarto, demum excitari fiduciam accedenti ad thronum gratiæ, quæ apprehendit justificationem.

Hæc philosophia Kemnitiiana parum facit ad rem, nam non possunt isti omnes actus ad unam virtutem proprie, et per se pertinere, cum priores duo sint in intellectu, posteriores in voluntate, nec fieri possit, ut una virtus sit in duabus potentiis genere distinctis. Quare adhuc restat quæstio, quinam ex illis actibus ad fidem justificantem pertineant. Nos enim contendimus, duos priores, qui sunt in intellectu, esse actus fidei: adversarii contra, duos posteriores, qui sunt in voluntate, et maxime postremum actum fidei esse volunt, cum illi soli tribuant justificandi officium.

(1) Tim. III, 13. — (2) Joan. XV, 14; Act. VIII, 37; Rom. X, 10, 9. — (3) Matth. IX, 4; ibid. XXII, 37. — (4) Psal. XXIII, 4; ibid. LXXXIII, 3; I Pet. III, 4.

Argumenta autem omnia, quæ fecimus hactenus, aperte demonstrant, fidem esse in intellectu, ac per hoc ad eam nullo modo pertinere fiduciam, quæ est in voluntate. Quibus addere possumus testimonium S. Augustini in lib. de prædestinatione Sanctorum, cap. II, ubi dicit, credere, nihil esse aliud, nisi cum assensu cogitare; ita ut cogitatio sit quasi genus, assensus quasi differentia. Nam ut ipse ibidem docet, multi cogitant, qui non credunt, imo etiam aliquando cogitant, ut non credant, sed nullus credit, qui non cogitet. Quo loco S. Augustinus, manifeste confirmat sententiam nostram. Et ex quatuor illis actibus quos Kemnitius distinxit, duos tantum priores ad fidem pertinere, demonstrat.

At instat Kemnitius: Scriptura tribuit cordi, quæ ad intellectum, et quæ ad voluntatem pertinent, cum dicat: *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris.* Matth. IX. Et: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Matth. XXII (3). Cur igitur non poterunt etiam fidei tribui, quæ ad intellectum, et quæ ad voluntatem pertinent? Addit etiam postremo testimonium S. Bonaventuræ, qui scribit, spem, quantum ad certitudinem, pertinere ad intellectum, quantum ad expectationem pertinere ad voluntatem.

Sed facilis est responsio. Cur enim in sacris litteris pro tota anima accipitur, ut videlicet totum interiore hominem significet nam idcirco carni, vel corpori opponitur. Psal. XXIII. *Innocens manibus, et mundo corde.* Psal. LXXXIII. *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum.* I Petr. III. *Qui in abscondito est cordis homo.* Quare non est mirum, si cordi tribuantur actus, tam intellectus, quam voluntatis, cum in homine interiore utraque potentia reperiatur. Non est autem eadem ratio fidei, quæ specialis quædam virtus est, et ad unam specialem potentiam pertinet.

Porro S. Bonaventura in 3. sentent. dist. 26. art. 1. quæst. 5. contrarium docet, ejus, quod a Kemnitio illi tribuitur. Siquidem affirmat, spem etiam quoad certitudinem pertinere ad voluntatem. Distinguit enim duplicem certitudinem, unam fidei, quæ est in intellectu, alteram spei, quæ est in voluntate. Itaque viderit Kemnitius ubi sententiam illam Bonaventuræ repererit. Quod si testimonium illud Bonaventuræ germanum

esset, promptum esset respondere, ab eo poni spem in intellectu quoad certitudinem; non essentialiter, sed causaliter, quia videlicet ideo spes certa est, quia præsupponit certitudinem fidei de omnipotentia et fidelitate Dei. Nos autem cum hereticis non contendimus de subjecto causæ spei, sed de subjecto ipsius spei.

## CAPUT VII.

*Fidem justificantem non tam esse notitiam, quam assensum, probatur ex Scripturis.*

Nunc adversus Calvinum breviter probandum est, fidem non tam esse notitiam, quam simplicem assensum, quod etiam paulo ante probatum est ex definitione, quam tradidit Apostolus. Calvinus enim non solum definit fidem per cognitionem, lib. III. Instit. cap. 2. sed etiam insultat Catholicis, quod dicant, se reverenter credere quicquid Ecclesia docet, etiamsi minus ea intelligant. Contra vero ipse affirmat, non ignorantia, nec sensus nostri submissione, sed cognitione certa et explorata regnum cælorum adiri; et allegat Apostolum damnantem eos, qui semper discunt, et ad scientiam veritatis numquam perveniunt. II Timoth. III.

Probatur igitur, fidem non esse notitiam, sed assensum. Nam in primis Isaias cap. VII. aperte protestatur: *Visi credideritis, non intellegitis.* Ubi videmus, fidem non esse intellegentiam, sed viam, et gradum ad intellegendum. Quod aliis verbis dixit etiam de rebus naturalibus ille Philosophus: « Addiscentem oportet credere ». Item in priore ad Corinthios cap. XIII. Apostolus distinguit notitiam mysteriorum a fide tamquam duo diversa dona: *Si habuero, inquit, omnem scientiam, et noverim mysteria omnia, et omnem fidem* (1). Et I Corinth. XII. enumerans dona Dei, dicit, alii dari sermonem sapientiæ, alii sermonem scientiæ, alii fidem, id est, eximiam fidem, quæ montes etiam transferre possit. Rursus in posteriore ad Corinth. cap. 10. dicit, se per Evangelii prædicationem in captivitatem redigere omnem intellectum in obsequium Christi. At certe non est necesse, captivare intellectum, ubi est notitia veritatis. Quo etiam pertinet obedientia fidei, de qua tam sæpe idem Apostolus concionatur. Quorsum enim obedi-

(1) Cor. XIII, 2.

tia in credendo opus esset, si per fidem notitia præberetur; sed audiamus in hac re sententiam veterum Patrum.

S. Irenæus lib. II. cap. 45. « Melius, inquit, est nihil omnino scientem credere Deo, et perseverare in ejus dilectione, quæ hominem vivificat, quam per questionum subtilitates, et multiloquium in impietatem cadere ».

Clemens Alexandrinus lib. III. Pædagog. cap. 11. « Fides, inquit, nonsapientium secundum mundum, sed eorum, qui secundum Deum sunt sapientes, possessio est. Illa autem etiam absque litteris discitur. Ejus autem scriptum, quod et ad rudes, et ad ignorantes pertinet, et est divinum, charitas vocatur ».

S. Hilarius lib. VIII. de Trinit. ante medium: « Habet, inquit, non tam veniam, quam præmium, ignorare quod credas, quia maximum stipendium fidei est, sperare quæ nescias ».

S. Augustinus in epist. 102. ad Evodium: « Si propter eos solos, inquit, Christus natus est, qui certa intelligentia possunt ista discernere, pene frustra in Ecclesie laboramus ». Et sane ita esse, experientia testatur, cum maxima pars fidelium, vel propter ætatem puerilem, vel propter sexum muliebrem, vel propter ingenii hebetudinem, vel propter imperitiam litterarum et scientiarum, quales sunt pene omnes rustici, non solum non intellegant mysteria Trinitatis et Incarnationis, et similia necessaria ad salutem, sed vix quidquam animo concipiant, præter sonum verborum; et tamen inter fideles merito numerantur, cum fatentur se credere, Deum esse Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, juxta sensum Ecclesiæ.

Quare idem Augustinus in libro contra epistolam Fundamenti, cap. 4. « Turbam, inquit, non intelligendi vivacitas, sed credenti simplicitas tutissimam facit. » Et tract. 27. in Joannem dicit, intelligentiam mysteriorum esse præmium fidei. Et tract. 40. « Non quia cognoverunt, inquit, crediderunt, sed ut cognoscerent, crediderunt. Qui enim est fides, nisi credere quod non vides ». Et serm. 189. de tempore, qui est primus de sancta Trinitate: « Considera, inquit, quod voceris fidelis, non rationalis. Denique accepto baptismo hoc dicimus, fidelis factus sum, credo quod nescio ».

S. Prosper lib. I. de vita contemplativa, cap. 19. « Dicente, inquit, Apostolo, nisi credideritis, non intelligetis, datur intelligi, quod non fides ex intellectu, sed ex fide intellectus existat: nec qui intelligit, credat, sed qui credit, intelligat ». Itaque fides intellectum præcedit, ac per hoc credere, non est intelligere.

S. Gregorius lib. II. Moralium, cap. 25. tractans illud Job. I. *Boves arabant, et asinae pascebantur juxta eos* (1); docet, per boves significari homines doctos, per asinas homines imperitos, qui simpliciter credentes in intelligentia majorum acquiescunt.

Denique in eo qui credit, duo sunt, apprehensio, et judicium, sive assensus: sed apprehensio non est fides, sed aliquid fidem præcedens. Possunt enim etiam infideles apprehendere mysteria fidei. Præterea, apprehensio non dicitur proprie notitia, si sit rudis et confusa; distincta autem et perspicua non necessario requiritur ad fidem. Nam accidere potest, ut Philosophus Ethnicus apprehendat non solum confuse, sed etiam distincte mysterium Trinitatis, et subtilissime intelligendo discernat essentiam et relationes, atque alia id genus, et tamen non credat. Contra autem rusticus Catholicus, non apprehendat nisi confuse tria illa nomina, et tamen vere credat.

Judicium autem, sive assensus duplex est. Alter enim sequitur rationem, et evidentiam rei, alter auctoritatem proponentis: prior dicitur notitia (si proprie loqui velimus) posterior fides. Sic enim loquitur sanctus Augustinus, in libro de utilitate credendi, cap. 11. « Quod, inquit, intelligimus aliquid, rationi debemus; quod autem credimus, auctoritati ». Igitur mysteria fidei, quæ rationem superant, credimus, non intelligimus, ac per hoc fides distinguitur contra scientiam, et melius per ignorantiam, quam per notitiam definitur.

Illud autem, quod objicit Calvinus, semper discentes, et numquam ad scientiam veritatis pervenientes, nihil ad rem facit. Nam tametsi distinguatur fides a scientia, tamen utilis est etiam, et laudabilis scientia rerum divinarum, quippe quæ amorem Dei semper magis et magis accendit: et sicut laude digni sunt, qui discendo proficiunt, ita merito reprehenduntur, qui semper discunt, et ad scientiam numquam perveniunt.

(1) Job. I, 14. — (2) Luc. XIX, 40; I Tim. I, 45; Joan. III, 16. — (3) Matth. XVI, 16.

## CAPUT VIII.

*Fidei justificantis objectum non esse specialem misericordiam, sed omnia quæ Deus revelavit, probatur ex divinis litteris.*

Nunc demum ad id, quod maxime proprium est hujus loci, veniamus, ac ex divinis litteris probemus, fidei justificantis objectum non esse specialem misericordiam, sed omnia quæ Deus revelare dignatus est.

Incipiamus ab Evangeliiis. Fides certe, quam Christus exiebat, et in cujus confirmationem miracula faciebat, fides erat justificans. Hujus enim rei causa fidem prædicabat et confirmabat, ut per eam homines salvarentur. *Venit enim quærere, et salvum facere quod perierat.* Luc. XIX. Et: *Venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* I ad Timoth. I. Et ideo pater sic dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam (2). Joan. III.

Videamus igitur, quam fidem Christus exigeret, quam laudaret, ad quam hortaretur, quam denique signis et prodigiis comprobaret. Matth. IX, Dominus cæcis petentibus lumen: *Creditis, inquit, quia hoc possum facere vobis?* Illis respondentibus, *utique, Domine, ait, secundum fidem vestrum fiat vobis.* Quo loco Dominus fidem omnipotentiae, ac per hoc divinitatis suæ, non misericordiae specialis exegit.

Matth. XVI. cum sanctus Petrus confessionem fidei suæ illis verbis edidisset: *Tu es Christus filius Dei vivi* (3). Eam fidem ita Dominus commendavit, ut diceret: *Beatus es Simon Bar Jona, quia non revelavit tibi caro et sanguis, sed Pater meus, qui in cælis est.* Eandemque sancti Petri fidem, omnes Patres miris laudibus offerunt. Ut quæ perfecta fides fuerit. Vide Hilarium lib. VI. de Trinit. Chrysostomum homil. 53. in Matth. Augustinum tract. 10. in epist. Joannis. Cyrillum Dialog. 4. de Trinit. Et Leonem serm. 2. de assumptione sua ad Pontificatum. Quid autem Petrus tunc credidit, nisi Christi divinitatem?

Similis fuit confessio fidei in Centurione, Luc. VII. quam Christus ita miratus est, ut diceret: *Tantum fidem se non invenisse in*

*Israel* (1). Neque enim aliud se credere Centurio ille professus est, nisi Christi omnipotentiam et divinitatem, dicens: *Dic tantum verbum, et sanabitur puer meus.*

Joan. I. cum Nathanael dixisset: *Rabbi, tu es Rex Israel, tu es filius Dei.* Dominus fidem ejus approbans ait: *Quia dixi, vidi te sub ficu, credis* (2).

Joan. VI. cum Dominus longa oratione ad fidem cohortatus esset Judæos, et illi non credentes abirent, interrogavit Apostolos, num et ipsi vellent abire; respondit autem Petrus nomine omnium: *Ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, et nos credimus, quia tu es Christus filius Dei vivi* (3). Ex quo intelligimus hanc ipsam fuisse fidem, quam Dominus requirebat.

Joan. XI. cum Dominus Marthæ dixisset: *Ego sum resurrectio et vita, qui credit in me, non morietur in æternum, Credis hoc?* Respondit illa: *Utique Domine, ego credidi, quia tu es Christus filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti* (4).

Joan. X. Dominus ipse docens, quod sit objectum fidei, quam in nobis requirit. *Non creditis, inquit, quia ego in Patre, et Pater in me est? alioqui propter opera ipsa credite* (5). Et cap. XX. cum Thomas, aliquandiu incredulus, tandem viso Domino exclamasset: *Dominus meus, et Deus meus*, subjunxit Dominus: *Quia videristi me Thoma, credidisti, beati qui non viderunt et crediderunt* (6). Ubi certe beati dicuntur, qui credunt, Christum resurrexisse a mortuis, et Dominum, ac Deum esse. Id enim est, quod Thomas credidit. Denique ibidem: *Hæc scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus filius Dei, et ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus.* Hæc igitur fides, quæ respicit Christi divinitatem, ipsa est, quæ et justitiam, et vitam æternam tribuit. Atque hæc quidem testimonia probant, fidem justificantem habere pro objecto aliquid aliud præter misericordiam specialem.

Sed addamus alia testimonia, quibus probemus, non solum fidem justificantem respicere alia objecta, sed etiam fidem esse justificantem, quamvis non respiciat misericordiam specialem, et non esse fidem justificantem, si eam misericordiam forte respiciat. Marc. I. leproso dicenti: *Domine si vis, potes me mundare*, Dominus ait: *Volo, munda-*

*re* (7). Leprosus iste de voluntate Domini, ac per hoc de misericordia speciali sine dubio ambigebat, alioqui non dixisset, *si vis potes.* Et tamen quia non defuit illi fides omnipotentiae, et divinitatis, impetravit quod petiit. Ex quo intelligimus, fidem ejus fuisse talem, qualem Dominus exiebat, et in cujus confirmationem miracula faciebat; quamvis deesset illi certitudo de misericordia speciali.

Luc XVIII. pharisæus confidebat se esse justum, et ideo orans dicebat: *Gratias tibi ago Domine, quia non sum sicut cæteri homines, etc.* Contra: *Publicanus non audebat oculos ad cælum levare, sed a longe stans, et pectus percutiens orabat, Deus propitius esto mihi peccatori.* Et tamen descendit hic justificatus ab illo (8), id est, præ illo. Itaque Pharisæus habuit fidem specialis benevolentiae, et tamen repulsam passus est: publicanus caruit fiducia illa, et cum timore ac tremore ad Deum accessit, et justificatus est. Neque dici potest pharisæum habuisse fidem, vel fiduciam benevolentiae ob propria merita, quasi justitiam suam ex se habere se crederet. Nam agebat gratias Deo de sua justitia, proinde a Deo eam se habere credebatur. Non igitur justificatur, qui justum se esse confidit, sed qui cum metu, et tremore salutem suam operatur.

Accedat ultimo testimonium ex capite postremo Marci, ubi cum Dominus dixisset: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur; mox adjunxit: Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur, in nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tolerant, etc.* (9). Ubi apertissime videmus, fidem miraculorum unam et eandem esse cum fide justificante et salvante: certum autem est, fidem miraculorum non respicere tamquam objectum specialem misericordiam remissionis peccatorum, sed omnipotentiam, et divinitatem filii Dei.

Hæc igitur ex Evangeliiis sufficient; quibus addi possunt alia non dissimilia ex Actis et epistolis Apostolorum. Nam Actorum II. IV. X. XIII. et XVII. narrantur conciones Petri et Pauli, quibus explicatio, et doctrina fidei continetur. In his autem nullum est verbum de speciali misericordia, sed totæ consumuntur in explicanda, et persuadenda

(1) Luc. VII, 9. — (2) Joan. I, 49. — (3) Joan. VI, 69. — (4) Joan. XI, 25. — (5) Joan. X, 41. — (6) Ibid. XX, 29. — (7) Marc. I, 40. — (8) Luc. XVIII, 41. — (9) Marc. XVI, 46.